Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 133
Quelle:
Copyright:

ſtro *Nic. Forloſia* ſolerter deſcriptam, et Lectiones varias ex eo decerptas, et characterum Specimen *Tab.* I. poſt p. 588. inciſum deprehendet. Id unum addo, in *Herm. Treſchovii Tentamine Deſcript. Codicum vet. aliquot Graecor. Bibl. Caeſ. Vindob. Havniae* 1773. p. 6. 8. characteres eos perperam *aureos* dici, neque de materia *Codicis* dubitari debuiſſe, ut *Blanchini p. ſupracit.* 577. factum video, cum membranae, quo vetuſtiores, eo etiam tenuiores, inſtar paene veſicae, reperiri ſoleant.

LXXXVI.

U. 14 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 160. f. luculente exaratus et, ut frons enunciat, olim teſtamento legatus *domui Collegij ducalis wienne apud fratres predicatores pro ſtudio theologie* a *Thoma de Haſselbach* ejus Prof. in *perichtoldsdorff* Plebano et D. *Stephani* Canonico, continet I. *Evangelium S. Matthaei* columna media lineis rarioribus Textum grandiuſcule ſcriptum exhibente, adſtituta utrinque *Gloſſa ordinaria*, et inſerta *interlineari*, ut exemplum eſt in Bibliis gloſſatis impreſſis, e quorum Prologis etiam Προλεγομενα Codicis noſtri petita ſunt.

II. *fol.* 89. alia, et quidem elegantiore manu, rubricisque diſtinctum ſequitur *Evangelium S. Lucae* utraque pariter *Gloſſa* illuſtratum, ſed lapſu temporis aliquot partibus mulctatum; *folia* enim 99. 100. 101. item 112 — 16. denique 152. et 153. manu Sec. XV. ſubpleta ſunt, in qua ſaltem conatum laudes. Προλεγομενα hic nulla; ad calcem vero adſcriptus eſt *Hieronymi* Prologus, qui infit: *Lucas ſyrus natione antiocenſis. arte medicus* &c. ut habetur in Bibl. gloſſatis, et alius Locus, quem ibi non reperi, hoc initio: *Lucas de omnibus que fecit ihesus et docuit* &c.

Ad conveſtiendum interne Codicem adhibitae ſunt Membranae duae vetuſtiſſimi Exemplaris *Talmudici* in *Germania* ſcripti, quarum anterior ad Tractatum פסחים ſeu de *Paſchate*, poſterior ad Tractatum גטין ſeu de *Divortio* pertinet.

LXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 94. f. per 3. columnas probe exaratus ita praenotatur: *Honorabilis vir dominus mathias puellmair de Grintling Presbiter friſingenſis dioceſſ. hunc librum ad librariam collegij ducalis teſtatus eſt.* Complectitur vero *Evangelium Matthaei* columna media luculentiore, lineis ad recipiendam *Gloſſam* diſtantibus, et utrinque adſtituta *Gloſſa ordinaria*, prout in Editt. *Bibliorum gloſſatorum* viſitur. Capitum Numeri in ſumma ora minio indicantur. Praemiſſa ſunt quaedam hinc inde e Gloſſis lecta de Evangelio in genere, et de Senſu hiſtorico, my- U. 11

 ſtico,